

dum hanc viam, quod aqua inquam operu-
it totam terram, aut tunc ab elemento ter-
ræ remota sit, sed quod tunc in formi mate-
riæ impressa est forma substantialis aquæ, per
quam aqua suum naturalem motum sorti-
tur: quod item alteri parti eiusdem materiæ
impressa est forma substantialis terræ, per
quæ competit terræ, esse & videri quod est.
Simili modo exponit de firmamento, non
quod informatas formationem secundum
tempus præcessit.

Gene. 2.

¶ Insuper cum ter-
tio die legitur dictum, Producat terra her-
bam &c. exponit Augustinus causaliter, ita
quod tunc data est terræ virtus propagan-
di similia ex similibus, cum prima die pro-
ductæ sint plantæ, sicut & aliæ species rerum.
Nam & infra habetur: Hæc sunt generatio-
nes cæli & terræ in die quando creata sunt,
in die quo fecit Deus cælum & terram, &
omne virgultum antequam oriretur in ter-
ra. Nihilominus, secundum Augustinum, to-
tum istud simul peractum est, cum tertius dies
non sit posterior primo per successiorem.
Deinde cum luminaria & sidera facta nar-
rantur quarto die, intelligit hoc, quantum
ad relationem angelicæ cognitionis ad hoc
quartum genus operis Dei, quod tamen
prima die distincte productum est. Rursus, dum
quinto die pisces & aues facti referuntur
ex aqua, exponit causaliter, sicut de produ-
ctione plantarum ex terra, ita quod iuxta
Augustinum, quarta die data est aquæ virtus
causalis ad productionem præfatam, quod
tamen realiter factum est simul secundum
eum. Et idem dicendum de opere sextæ diei.

August.

Si autem quis capere nequeat ista, audiat Au-
gustinum super Genesim, sic loquentem: Cum
audis tunc omnia facta esse simul, illam se-
nariam receptionem sine interuallis tem-
porum factam apprehende, si potes: si verò
non potes, relinque hæc apprehedenda eis
qui possunt, tu autem profice cum scriptu-
ræ, tuæ infirmitati deferuente, atque mater-
na in cessu tecum tardius ambulare, quæ sic
loquitur, vt superbus altitudine sua irride-
at, profunditate sua attentos perterreat, veri-
tate magnos pascat, affabilitate paruos
enutriet. Vnde secundum Gregorium, scri-
ptura sacra est fluuius, in quo pedit agnus,
natusque elephas.

Gregor.

August.

¶ Veruntamen huic
expositioni Augustini non immoror, quonia
propter motiua septimo articulo tacta, ei
consentiendum non reor, sed licet Augustinus
multum sobrius, & absque omni incau-
ta assertionem ipsam deprompsit, sic reuer-
ter tractanda est, non indecenter ab aliquo
respuenda: præsertim quia perutilis est ad

defendendum scripturam ab irratione per-
fidorum, in proprijs oculis sapietum, quasi
sensum Dei cognoscant, cum propria præ-
sumptionis excæcati sint tenebris.

¶ De spirituali ac mystica huius capituli
expositione. ART. XVI.

Scriptura sacra fecidissima est, & mul-
tiplicem parit sensum: atque historicè ges-
ta, spirituale continet intellectum. Quem-
admodum ergo creator in principio, hoc est,
in vnico verbo suo, & in exordio seculorum
fecit cælum & terram, sic in principio fecit an-
gelos electos & sanctos, qui designatur per
cælum: & angelos malos, qui designantur per
terræ, quæ à lummo bono auersi, ad vanitatem
ac vilia sunt conuersi, & meruerunt sub ter-
ra reduci. Vnde & Hieronimus loquitur deo: Re-
cedentes à te, in terram scribentur. Et quanuis
deus non fecerit eos malos, sed propria vol-
untate auersi sint, atque fecit eos, quantum ad
id quod substantialiter sunt. Itaque, sicut Deus
in principio simul creauit summa & infima,
caelestia & terrena, spiritualia & corporalia:
ita in principio simul condidit prædestina-
tos atque præcitos, electos ac reprobos, vasa
misericordiarum, vasaque iræ.

Rom. 9.

¶ Insuper ab ex-
ordio primæ etatis mundi, creauit homines
quosdam electos, spirituales ac virtuosos, qui
designantur per cælum: homines quoque; carnales
ac reprobos, qui exprimentur per terram. Ab
initio etenim, boni & mali coeperunt esse
mixti. Rursus quemadmodum Deus crea-
uit species vniuersi, videlicet angelos, caele-
stia corpora, elementa & mixta, in multiplici
varietate ac ordine naturalium perfectionum:
ita in angelis primò, deinde in hominibus
posuit supernaturalia dona gratiarum ac virtutum,
in multiformi gradu, distinctione, & ordine
imperscrutabili. ¶ Terra autem erat inanis &
vacua. Terra ista, mysticè est homo terrenus
vel carnalis, qui sibi ipsi relictus, & secundum
se consideratus, vanus, deformis, & vacuus
est, vt potè ornatu virtutum priuatus, & spiri-
tualibus gratijs defraudatus. Propter quod dixit
christifera virgo: diuites dimisit inanes. Luc. 1.
Sapiens quoque, Vani sunt omnes quibus non sub-
est scientia dei. Et tenebræ erant super faciem
abyssi: hoc est, ignorantiarum & vitiarum caligo
operuit corda humana, quouique; de ea illu-
minauit, immò vsque; ad Christi aduentum & eu-
angelicæ legis promulgationem, tenebræ, & ma-
xima parte dominabantur hominibus. Propter quod
in Actibus loquitur Paulus: Tempora prioris
ignoratiæ despiciens deus, nunc annunciat homi-
nibus, vt omnes vbiusque; penitentiam agant. Et spiritus
domini ferebatur super aquas. Quæ admodum in
Apoc. habetur, Aquæ multæ populi multi.

Aetor. 17.

Apo. 17.

d 4 Vnde